



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal: Gregorii IX.

Herberstein, Ferdinand von
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo

Spirens., 1660

29. Quid si reus peccet ex ignorantia, aut ex motu primo? Quid si ex correctione fraterna spes affulgeat damni avertendi, tertio aut Reipublicae imminentis? quae spes censeatur sufficiens? an stante ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-11416

aliqua obstet, deferri potest ad iudicium
criminosus publicè delinquens.

29. Videtur autem obstare 1. igno-
rantia delinquentis, vel subita eius pas-
sio: quia tunc sperari potest emendatio
per fraternam correctionem, & conse-
quenter æquum non est illum exponere
damnis, quæ ex iudiciali condemnatione
sequuntur, præsertim si peccatum tale sit,
quod soli peccanti noceat & scandalum
aliis non inferat per *Loricam. 2. 2. q. 47. disp.*
47. reg. 3. n. 37. Sed nihilominus rectè in
tali casu denunciabitur si Prælati inquit-
ret, quia habet ius inquirendi & iudican-
di de publicis, ut habet *Malder. 2. 2. q. 33.*
a. 7. & colligitur ex dictis suprâ *tit. 1. de in-*
quis. n. 3. 4. 5. 6. 2. videtur obstare spes
damni sufficienter reparandi, quod com-
munitati vel tertio imminet, tunc utique
præmittenda foret fraterna correctio,
quia cum denunciatio iudicialis adhibea-
tur ad vitandum damnum communitatis
vel tertii, adhiberi non debet, si suaviori
modo damnum illud caveri potest: quia
imprudenter medicus adhiberet medica-
mentum acerbius, quando dulcius æquè
condu-

conduceret ad reparandam ægro fanitatem: ut supra insinuavimus: *n. 21. h. t.*

ADVERTIT tamen Palaus *tom. 1. tr. 6. disp. 3. pun. 13. n. 7.* in his delictis non sufficere spem probabilem avertendi mali, id est, non desperationem fructus, sicut in iis peccatis, quæ soli peccanti nocentum inferunt: sed requiri certitudinem moralem, excludentem omnem rationem dubitandi de opposito. Et quamvis hæc adefset, denunciante nihilominus omisâ praviâ correptione solùm contra charitatem peccaturum, non autem contra justitiam, etiamsi ex illa manifestatione damnum alteri proventurum esset, docet Fagundez. *tom. 2. lib. 8. cap. 6. n. 6.* quia nemo ex justitia tenetur confugere ad faciliorem modum, sed ad id tantùm tenetur ex charitate: cùm enim nemo jus habeat ad nocendum alteri, consequenter nemo habet jus ad famam, per quam alteri nocere parat: undè non fit ei injuria, si in fama lædatur ad vitandum damnum innocentis quamvis lædatur charitas, propterea quod id non procuretur per media suaviora, ita Fagundez. contra Less: *lib. 2. de just. cap. 11. dub. 9. n. 62.*